

que intellectus divini proprium esse dicit (a) ; sed quum is non dubitaret , nihil deduci de potentia in actum , nisi per aliquod ens actu (b) , ad intellectum agentem confugit . At nisi hic intellectus sit semper in actu , necesse erit alterum adhibere , idque in infinitum . Quod Aristoteles vidit , qui eo loco , quem B. Th. laudat corruptum , ut Joan. Nicolaus observat (c) , negat, intellectum agentem esse posse aliquando in actu , aliquando non in actu , quinimmo alibi discrete scribit (d) , intellectum agentem esse substantiam actu ens . Jam ex Thomæ sententia intellectus agens non est ab anima distinctus : ergo si consentaneæ principiis suis ratiocinari voluisset , negare non potuisset , mentem in perenni esse cogitatione . Nam veteres scholæ philosophi nec semper Aristoteli adherere potuerunt , cujus est hominis philosophia plusquam sæpe a christianis dogmatis aliena , & nonnunquam genuinum ejus sensum non videntur assequuti : velut hic , quum intellectum Aristotelis agentem aut deseruere , aut non factis intellexerunt . Nam Aristoteli intellectus agens extrinsecus est homini , ut superius demonstravi , isque , ut ego quidem puto , aut stellarum vis nescio quæ , aut mundi mens . Quicumque sit , ex Stagiritæ philosopho hæc verus est *αχωριστος , και αμιγης , και απανης , και νοσια αν ενεργεια , inseparabilis* (ab intellectu videlicet passivo , qui est *δυναμις* corporis) , *simplex , impassibilis , & essentialiter actio* . Quocirca semper est intelligens . *ολως δε , εδε χρονω , αλλ' εχ οτε μιν νοει , οτε δε ε νοει , omnino vero non hoc tempore intelligit , altero non* , sed omni prorsus tempore intelligens est (e) .

Jam Cartesium secuti sunt primum Cartesiani omnes , in primis viri acutissimi Claubergius , Malebr., Silvan. Regis , aliique : denique sæculo nostro Leibniti-
tius & Wolfius . At iis se opposuerunt omnes Peripateti-

(a) *Sum. Theol. p. p. q. 79. art. 2.*

(b) *Ibidem art. 3.*

(c) *Nota ad art. 4. ibidem.*

(d) *In 3. de anima text. 14.*

(e) *De anima lib. 3. cap. 6.*

tetici , & Joan. Lockius in lib. 1. de intellectu humano cap. 2. , quo in loco conatur demonstrare , fanaticum esse dogma de perenni mentis cogitatione . Lockii argumenta ad duo summa capita referri possunt . Primum : quod nemo unquam eorum , de quibus in profundissimo somno cogitat , recordetur : itaque hæc doctrina internis animi experimentis adversatur . Alterum , quod status cogitationis sit status vigiliæ : experimur enim nos dormire non posse , dum perennis quædam cogitatio animum vexat . Quod si semper cogitarem , semper vigilarem , quod est falsum . Accedit eodem , quod mens nostra duas referret personas , alteram dum dormimus , alteram dum vigilamus . Personæ enim identitas ex Lockii doctrina posita est in identitate conscientiæ cogitationum : at quoniam vigilantibus mens nostra non habet conscientiam earumdem cogitationum , quas habuit nobis dormientibus ; sequitur , duas referre personas , alteram nobis dormientibus , alteram vigilantibus , quod ille intolerabile putat absurdum .

Sed sunt rationes istæ , ut ego quidem opinor , suapte natura infirmæ . Ad primum quod attinet , respondet Malebranchius ideo nos cogitationum illarum non reminisci , quod eæ , torpentibus spiritibus animalibus , & cerebri fibris , nulla viva in cerebro vestigia relinquunt . Wolfius autem respondet , id evenire , quod eæ cogitationes ut plurimum sunt confusæ & obscuræ , non vero claræ & distinctæ . Nam quum mens a clarioribus semper ideis rapiatur : dum a statu idearum confusarum ad claras transit , nullam illis attentionem præbet ; quocirca eorum recordari nequit (a) . Ceterum falsum est , nos nunquam reminisci eorum , quæ in somno cogitavimus . Nam quid est aliud somniorum recordari , quam recordari earum perceptionum , quas paullo distinctiores habuimus , quæque majorem impressionem in cerebro fecerunt ? Quid quod sæpe adeo accurate hæc agimus , ut meminerim me interdum & acutiorem geometram in somnis gessisse , & dif-

(a) *Vide quæ super ea re disserit in utraque Psychologia .*

disputasse subtilius, quam vigilantem; & nodos quandoque aut nexisse, quos vigilans solvere nescire; aut explicasse, quæ me alacrem & vigilantem implicaverant. Quod spectat ad vigiliam & somnum, itidem falsum est, quod profert Lockius, nos non posse cogitare & dormire; quippe intima experientia scimus, nos dum dormimus, longissimas plerumque habere ratiocinationes. Nec raro geometra somniabit intricatas demonstrationes, suaque abstracta systemata Metaphysicus; quod Lockius, si ingenuus esse voluisset, non potuisset negare. Sane nos dormimus non quando nihil cogitamus, sed quando quasi torpentibus cerebri fibris, & sanguine, externisque sensibus sopitis minus irritatur tela nervosa. Quod si cogitationes quædam somnum rumpunt, id fit, dum ex cerebrum paullo vehementius agitant. Tandem postremum Lockii argumentum, si nihil aliud est persona nisi identitas *conscientiæ*, recte concludit, duas sæpe animam referre personas, alteram dum dormimus, alteram dum vigilamus. Sed id non magis absurdum est, quam eundem hominem in scena Mercurium agere, & Socrum. Quod si persona statuatur esse individuum rationale, quemadmodum ceteri omnes philosophi docent, anima dum vigilamus & dormimus semper eadem erit persona, quippe semper idem individuum rationale. Nullis igitur evidentibus argumentis perennis animi cogitatio everti potest.

Sed rogant, quibus tandem de rebus, quum primum mens corpori unitur, cogitat? Unde ei ideæ suppetunt? Est enim illa id temporis nuda quædam tabula: materiem ergo cogitationum non habet. Quasi vero, qui perennem cogitationem mentis ex ejus natura sequi demonstravit, cogatur etiam scire, unde illi materies suppetat cogitandi; aut hæc si ignoret, illud quoque ignoret. Silvanus quidem Regis (a) ex unione cum corpore statim illi materiem cogitandi præsto esse affirmat. Nec id inverisimile est. Me ea ignorare lubens fateor. Scio adesse, qui refrictam hanc Cartesii

cram-

(a) Regis usage de la raison, & de la foi.

crambem exsibilaturi sint, quique admiraturi, me Lockii alias prædicatorem egregium, ut ajunt, nunc velut palinodiam recinere. Sed nec eos moror, qui de re nulla, nisi ex cortice judicant, quibusque philosophandi principium est phantasia, quique laborem refugiunt ex immutabilibus ratiocinandi principiis; & his parco, qui ex vulgi fama potius, quam scriptionibus aliorum ingenia æstimant. Nempe si quis est, qui minus philosophorum jugum admittat, parcus eorum nominis cultor, rationis duntaxat tenax, eum me esse pluries sum testificatus. Lockium vero, ut virum doctum laudo, sed tantum abest, ut admirer, ut nemo potius sit, qui magis agnoscat, quod veteri philosopho Phocion dixit (a), totum ejus de Intellectu humano librum *Cupresso esse plane similem*. Ex natura ego philosophari amo, non ex libris. Ac utinam aliquando eam sine velo intueri liceat, complectique. Nam quum ea ipsa per se in abdito est, tum ii abditissimam studio suo fecere, qui suis *Δευσοι, και φασμοι* contexere; quique *cum suis phantasiis* magis, quam cum ratione loqui amant, ut eleganter ait alibi Augustinus. Quid, inquit, necesse erat in hæc dumeta ingredi philosophos, unde nullus iis sit exitus? Dixissent cum Aristotele, corporis entelechiam esse animam, nec tot texuissent telas, quibus se velut muscas involverent (b). Qui ita dissertant, ne ea iterum dicam, quæ toties dicta sunt, non advertunt, arbitrator, in quot intricatioribus laqueos ii se injiciunt, qui alteri illi sectæ nomen dederunt. Quanquam qui hic laquei nisi araneis? Quibus, censes ne tu, retineri aquilas posse?

Prop. XIV. Mens nec suapte natura, nec actione corporum circumpositorum perire potest.

D. Mens humana est substantia incorporea (prop. 12.), ut idcirco ejus attributa essentialia omnino sint diversa ab attributis essentialibus corporis (ibid. coroll.): dividi ergo & discerpi in partes nequit, nec suapte natura:

(a) Plutarch. in Phocione.

(b) La Mettrie.

tura, nec passione circumpositorum corporum: nam & natura cuiusque entis ad se conservandum comparata est: & substantia incorporea passioni corporum obnoxia esse non potest. Quæ autem talia sunt, siquidem natura & κατ' εἶδος sint viventia, immortalia sunt; mens ergo humana, quæ & incorporea est, & natura sua ac essentialiter vivens, nec corrumpi potest & immortalis est.

Scholion 1. Hominem duabus rebus mente scilicet, & corporea machina, quæ separatim intelligi & esse possunt, constare, communis est, & vetustissima omnium nationum saltem cultiorum opinio. Quod inde vel maxime patet, quod apud cultiores omnes nationes & sepulcrorum curam, & apotheosin, adeoque alterius vitæ beatæ vel miseræ persuasionem reperimus. Ea vero publica persuasionem gravissimi philosophi ad hujus doctrinæ adversarios refellendos confidenter utebantur, rati consensionem omnium gentium vocem quamdam naturæ esse. Quum de animarum aternitate differitur, inquit Seneca, non leve momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium inferos, aut colentium (a). Vide ut ea super re differunt Gerardus Vossius, & Huetius (b). Macrobius certe vetustioris sapientiæ diligens investigator audacter scribit, obituisse jam non minus de incorporalitate animæ, quam de ejus immortalitate sententiam (c).

2. Opponunt habuisse eam sententiam, hodieque habere aut qui adversantur, aut qui ignorant. Scilicet & Sudducæi famigeratissima Judæorum secta, utrumque negarunt (d); & Epicurei apud Græcos Latinosque magnis argumentis id dogma conati sunt subvertere: & in eadem fuere sententia Stoici, qui & tenuissimum æthera fecere animas & longævas quidem sed mortales. Nobilissimorum quorundam aliorum philosophorum con-

(a) Seneca Ep. 117. Vide & Tull. in prima Tuscul.

(b) Vossius in Theol. Gentil. lib. 2. cap. 10. Huet. in Alnet. lib. 2. cap. 8.

(c) In somn. Scip. lib. 1. cap. 14.

(d) Vide Joseph. lib. 2. Antiq. Judaic. cap. 28.

consimiles opiniones describit Cic. in 1. Tuscul. & Plutarchus in 4. de placitis philosophorum. Homerus animas quidem post corpora supereffe docet, sed velut tenuissima corpora, quæ non omnem modo effigiem retineant humanam, sed αἷμα κελαινον (nigrum sanguinem) bibant. Anima Anticla dicitur σκίη κελον η και ονειρον instar umbræ & somnii avolare (a): quem locum Virgilius, ut solet, transtulit; ei enim Anchisæ anima describitur.

Par levibus ventis, volucrique simillima somno.

3. Accedit, inquit, quod tota illa inferorum doctrina, ex qua altera hæc de animorum incorporalitate & immortalitate prodit, poetarum sit commentum, quemadmodum testificatur Diodorus Siculus (b). Orpheum, inquit, hymnos deorum plurimos, & orgya, & inferorum fictionem ex Ægypto attulisse tradunt impiorum pœnas & campos Elysios ab Ægyptiorum sepulcris desumpta introduxit. Mercurium quoque secundum antiquos destinantem finxit mortuorum animos Oceanum igitur Nilum vocant (Hesiodus, & Homerus), quoniam apud Ægyptios Nilus proprio nomine Oceanus appellatur Acherusia palus prope Memphim, circumque prata amœna, paludisque calamis plena. Prosequitur deinde, mortuos hæc incolere loca, quod Ægyptiorum sepulcra magna ex parte in iis locis ædificata sunt: corpora vero, pergit, per fluvium & Acherusiam paludem ad sepulcra delata, ibique condita, aliaque plura, quæ nunc etiam servant Ægyptii, dant locum fabulis, quas Græci de inferis finxerunt (c). In eadem opinione fuisse videtur Cicero alias Platonius: nam postquam adunco naso, quæ de inferis narrantur, descripsisset, rogat discipulum, hæc fortasse metuis, & idcirco mortem esse censes sempiternum malum? A. Adeo ne me delirare censes, ut ista esse credam? M. An tu hæc non credis? A. Minime vero.

(a) Homer. Odys. V.

(b) Lib. 2. Biblioth. prope finem.

(c) Vide ut eadem copiose edisserit Sextus Empiricus adversus phisicus lib. 11. cap. 11.

vero. *M. Male hercule narras. A. Cur quæso? M. Quia disertus esse possem, si contra ista dicerem. A. Quis enim non in ejusmodi causa? aut quid negotii est hæc poetarum & pictorum portentæ convincere M. Si ergo apud inferos miseri non sunt, ne sunt quidem apud inferos ulli. A. Ita prorsus existimo. Quin Aristophanes totam hanc scenam ludibrio habet in *Ranis*.*

4. Sed & christiani quidam theologi quum veteres, tum etiam recentiores, incorporalitatem animi humani rejecerunt. Origenes solum Deum incorporeum esse docet. Tertullianus apertissime animam corpoream facit, idque & bonæ philosophiæ & Scripturis sacris esse conforme contendit (a). Jam Hobbes, Cowardus, Sociniani omnes eandem fovent opinionem. In Italia nostra quanta animorum contentione super ea re scriptum est a Cardano, Pomponatio, Ficino, Portio, aliisque? Sed & recentes nationes Siamenses, Sineses, Americani, atque Africanorum, qui noscuntur, nullius rei incorporeæ notionem habent, easque, ubi prædicari audiunt, rident. Huttentotti alteram vitam ignorant (b). Nec veteres entia hæc Cartesianorum incorporea ullo modo cognovisse, plurimis ostendit Huetius, vir in primis eruditus, in Origenianis. Lucas Brugensis doctus Lovaniensis Theologus non dubitavit scribere, opinionem hanc de incorporalitate & immortalitate animorum ignotam fuisse veteribus Hebræis, nec apud illos usurpatam, nisi post commercium cum Græcis (c). Veteres ipsi plerique Patres tantum abest ut

(a) In lib. de Anima cap. 7.

(b) Vide Andreæ Kolbi in descriptione Capitis bone spei.

(c) Comment. in Matth. cap. 3. v. 7. Quum, inquit, tempore Machabeorum plures forent Scribae, quorum collegium ab Esdra exordium sumserat, qui sapientiæ studerent, & ut jugo Græcorum subjacebant, nonnunquam audirent Græcorum de his rebus (animæ humanæ immortalitate, corporis resurrectione, æternis bonorum præmiis, & malorum suppliciis) fabulas, factum est, ut cœperint questiones de his rebus in medium asserre, & inter se ventilare, atque a se mutuo dissidere, aliis ista adstruentibus, qui vocati sunt Pharisei, aliis negantibus, qui Sadducei. Ante hæc tempora non videtur populus Israel quidquam de his rebus doctus fuisse, aut quidquam de his publice prædicatum, eo quod lex hæ-

ut mentibus, & dæmonibus tenuia negaverint corpora, ut Deo etiam id dederint, rati, quod corpus non sit, nihil esse, in qua re enarranda plurimus est Petavius in dogmatibus theologicis tom. 1. & 2.

5. Tota hæc argumentatio recentium Epicureorum tribus constat partibus. 1. Quidam negant aut immortalitatem animi, aut incorporalitatem, aut utrumque. 2. Quidam non negant diserte, sed ea animo attribuunt, unde duo illa dogmata destrui videntur. 3. Quidam tandem ignorant. Ut a postremis exordiamur, ignoratio veritatis alicujus præjudicium adversus illam facere nullum potest: nam quæ res ignoratur aut ex traditione majorum derivata est, aut ex ratione. Si posterius, causa ignorationis est neglecta ea super re animi exercitatio. Ita veritates geometricas, astronomicas, physicas necesse est, eos omnes ignorare, qui iis nunquam intelligendis incubuerunt. Quod si eorum apud majorem hominum partem ignoratio argumentum est falsitatis, nec solemniter insaniant philosophi omnes, qui prædicant, ut id exempli loco recitem, isoscelium triangulorum angulos ad basim esse æquales, angulum in semicirculo esse rectum, &c. Si vero prius, causa est ferina & barbara educatio majorum, ex qua progenies semper stupidior sit nata. Nam in ipsa entata Europa, ejusque litteratissimis civitatibus reperies facile agrestes homines, aut plebejos, qui maxima etiam religionis christianæ capita ignorent. Si isti delati in vacuas terras gentem integram condant, quacum nullum sit aliarum cultiorum commercium, ignorabit ea intra duo sæcula totam christianam sapientiam. Erit autem qui ex ea ignoratione præjudicium colligat ad-

H 2 ver-

rum rerum disertam mentionem non faceret, terrenas duntaxat spes minasque bonis malisque ob oculos ponens. Fuit quidem Patriarcharum & Prophetarum non dubia hæc fides, quod vel undecimum caput epistolæ ad Hebræos testatur facit. Sed multa a Patriarchis & Prophetis credita prædictaque fuisse, quæ ut non præposita atque enarrata, ita nec credenda necessario populo fuerunt, ut virginitas Mariæ Mariæ, paupertas, passio, mors, resurrectio Messæ. Videtur clara publicaque hujusmodi rerum æternarum doctrina Messæ reservata fuisse.

versus christianam doctrinam (a) ? Quod de Hebraeis dicunt, id duplex est. Existisse apud Hebraeos opinionem alterius vitæ, adeoque immortalitatis animorum, saltem apud primores, plura probant manifeste. I. Notata secta Sadducæorum, quæ ei doctrinæ se opponeret. II. Lex a Mose lata contra eos, qui defunctorum animas consulere, &c. De incorporeitate animorum loca diserta, fateor, non habemus. Interim colligi id potest ex creatione animæ Adæ, aliisque locis, de quibus consulendi sunt Theologi. Hæc quum sint, duo illa dogmata (prop. 12. & 14.) talia sunt, ut seu e ratione nata dicamus, seu ex traditione propagata, quorundam ignoratione in dubium vocari non possint (b).

6. Quod spectat ad secundum, principio hallucinatur manifeste eo loco Huerius, ubi ignotas incorporeas substantias veteribus fuisse scribit. Nam Thales, Pythagoras, Plato, Cicero ita eas substantias descriperunt, ut non possint clarius recentēs philosophi. Plutarchus (c) quum retulisset Thaletem animam vocasse *ψυχήν ἀεικίνητον καὶ ἀσπασίτητον*, naturam quæ semper & a se moveatur; Pythagoram vero numerum *ἑννοῦν κίνητον*, se moventem; Platonem *νοεῖαν νοητὴν* substantiam mente præditam a se ipsa mobilem secundum numerum harmonicum; addit (d) ab iis positam incorpoream. Ne vero quis putet, tenue corpus illi habitum incorporeum, audiat, quam egregie & Dei, & mentis incorporeitatem ex eorum mente explicet Cicero (e). Nec vero, inquit, Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam & libe-

(a) Qui per Armeniam, Colchidem, vicinasque regiones iter fecerunt, testantur, tantam esse christianorum, qui ibi sunt reliqui, stupiditatem, fœditatemque, ut quamvis ipsi christiano se nomine gloriantur, longe tamen a christianis dogmatibus, quam Turcæ ipsi, distent. Vide Voyages au Nord.

(b) Vide ut copiosissime, veterum productis locis, eandem rem adstruat Cudworthus in *syll. intell. cap. 1. §. 19. ad 27.* ibique adnotata Mosheimii.

(c) *Lib. 4. de Placitis cap. 2.*

(d) *Ibid. cap. 2.*

(e) *Lib. 1. Quæst. Tusc.*

libera, SEGREGATA AB OMNI CONCRETIONE MORTALI, omnia sentiens & movens, ipsaque prædita motu sempiterno. Hoc e genere & eadem e natura est humana mens. . . In animi igitur cognitione dubitare non possumus, nisi in physicis PLANE PLUMBEI sumus, quum nihil sit animis ADMIXTUM, nihil CONCRETUM, nihil COPULATUM, nihil COAGMENTATUM, nihil DUPLEX. Eodem modo loquuntur nobilissimi Platonici philosophi Alcinous, Ammonius, Numenius, Proclus, Jamblicus, Plotinus, quorum verba brevitatis amore lubens omitto. Deinde tota doctrina idearum æternarum philosophiæ Platonice, & spatii vacui Epicureorum, ostendit, incorporea veteribus ignota non fuisse. Quod si ne id quidem est clare loqui de substantiis incorporeis, operæ pretium fecisset Anabrigensis Episcopus, si conceptas ea de re formulas docuisset philosophos, is, qui tam cernit acute, ut in ipsis Baccho & Priapo Mossem videat expressum. Jam veterum theologorum, quorum isti auctoritate abutuntur, perspicaces, si Diis placet, Critici, turpe est doctrinam non esse assequutos. Veteres nempe illi Patres duo in anima distinguebant humana Animam, & Spiritum, quod & Græci quidam fecere philosophi (a). Priorem corpoream & mortalem, posteriorem incorpoream & immortalem habebant (b): Augustinus alique priorem partem Spiritus vehiculum appellant. Eodem modo de angelis loquebantur. At existimare substantiam ipsam spiritus incorpoream tenui corpore circumdari, velut vehiculo & sensorio, non idem est, atque ipsam mentis substantiam facere corpoream, quum recentissimi philosophi incorporeitatis animorum alioquin defensores, eandem docuerint opinionem. Oportebat id observare Consarcinatorem philosophiæ pagane, præsertim quum doctus gentis suæ auctor aperte id explicuisset (c). Quæ vero ratione Tertullianus, Hilarius, & quidam alii Deo

H 3

(a) Vide Plur. in 4. de placitis.

(b) Vide Tatianum orat. ad Græcos, Ireneum lib. v. cap. 6.

67.

(c) Joan. Cleric. in Hist. duor. prior. Eccles. Secul.

Deo corpus tribuerint, pluribus docet Petavius laudato superius loco: existimat enim abusos illos voce corporis, eamque pro *ov ente* accepisse. Ego existimaverim το σωματικόν, & σωματικός ab illis usurpari pro το πεπασμα, quod nempe Deus quaquaversum per omnia permeet, nec uno indivisibili mundi loco coarctetur: pro immensitate denique. In quam rem veterum quaedam loca suppeterent, si id hic agere vellem. Sed vide dicta in scholio prop. 108. par. pr. Illud ego velim in certis haberi, non potuisse illos iis phrasibus Deo corpus tribuere; quum eorum constans sit doctrina, Deum omni omnino corpore esse expertem. Quae de re vide Origenem lib. 1. de principiis.

7. Tandem, qui negant incorporalitatem animi, ratione ne illi utuntur, an auctoritate? Rationes quam sint pueriles, inferius dicetur. Auctoritas vero esse non potest, nisi plebeiorum, quos non negamus, mentes sibi velut subtilia corpora representare: horum tantum captui Homerus aliique poetae sese adaptarunt, qui idcirco gravissime vapulant Platoni philosophorum facile principi (a), quod religionem auctoritate sua foedissime conspurcaverint. At suaves sunt magnanimi isti spiritus, ut vocari volunt, qui nos, dum revocare conantur a popularibus erroribus, ad hominum faciem appellant. Non pudet Hobbesium eos patronos appellare? Nam quod ad immortalitatem attinet, ne populum quidem appellare possunt; quum perpetua ea de re gentium omnium consensione aperte refellantur. Jam Diodorus & Cicero fabulas tantum verae doctrinae adfutas a poetis confictas scribunt, non rem ipsam. Dic quaeso, inquit Cicero eodem in loco, num te illa terreat, triceps apud inferos Cerberus, Cocytii fremitus, transvectio Acherontis, mento summum aquam attingens sui eneas Tantalus? num illud quod Sisyphus versat:

Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum?
Fortasse etiam inexorabiles iudices Minos, & Rhadamanthus, apud quos nec te Lucius Crassus defendet, nec Marcus Antonius, nec, quoniam apud Graecos iudices res age-

(a) In 3. de Rep.

tur, poteris adhibere Demosthenem? Haec poetarum & pictorum portenta voeat, non id, superesse post mortem corporis immortales animos, in qua re demonstranda eo in libro adlaborat. Sed nec Aristophanes quidem nisi fabulas vero dogmati adfutas ludibrio vertit. Alioquin eadem in Comedia Act. I. sc. 2. inter eos, qui apud inferos cruciantur magna cum gravitate, refert eos, quicumque aliquid turpis in vita admisserunt: in caetus vero beatorum quicumque Deos timerent colerentque. Nam rogat Bacchus, quinam essent illi ευδαιμονες: tum Hercules μεμνημενοι, inquit, μνησθαι videlicet.

8. Constat ergo de traditione duorum illorum dogmatum. Percenseamus nunc breviter praecipua in eam rem philosophorum argumenta. Plato quum in Phaedone, tum etiam in Phaedro plura profert incorporalitate, & immortalitate animorum argumenta. I. Quod imperat, & id, cui imperatur; quod utitur, & id quo utitur distincta ac diversa inter se sint, oportet: est autem in nobis quod paret quidem corpus; idemque instrumentum, quo altera nostri pars utitur: imperat vero ratio, eaque corpore utitur, idque moderatur; ergo ratio, adeoque animus, in quo inest ratio, res est a corpore distincta & diversa: nec vero corpus natura sua se & vi atque temperatione regit, sibi imperat; nam clarus inest in nobis sensus, machinam hanc humani corporis rei alteri subijci, eique parere.

9. II. Jam praecipuum immortalitatis argumentum ex ipsa animi natura activa & irrequieta desumebat Plato. Nempe ex veteri philosophorum consensione, omne motum corpus est, incorporeum quod movet, quod probatum Aristoteli, hinc gravioribus omnibus philosophis: animus ergo, qui principium est & sui & corporis vitae atque actionis, corpus non est, neque idcirco mortalis. Libeat Ciceronis verbis id argumentum describere. Nam, inquit, (a) quod semper movetur, aeternum est: quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitur aliunde, quando finem habet motus.

H 4

(a) In Somnio Scipionis.

tus, *vivendi finem habeat necesse est. Solum igitur quod se se movet, quia nunquam deseritur a se, nunquam ne moveri quidem desinit, quin etiam ceteris, quæ moventur, hic fons, hoc principium est movendi: principio autem nulla est origo: nam ex principio oriuntur omnia: ipsum autem nulla ex re alia nasci potest: nec enim id esset principium, quod gigneretur aliunde. Quod si nunquam oritur, ne occidit quidem unquam: nam principium extinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit: siquidem necesse est a principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur: id autem nec nasci potest, nec mori. . . . Quum pateat igitur æternum id esse, quod a se ipso moveatur, quis est, qui hanc naturam animæ esse tributam neget? manime est enim omne, quod pulsu agitatur externo: quod autem animal est, id motu cietur interiore & suo: nam hæc est natura propria animæ atque vis. Quæ si est una ex omnibus, quæ se se moveat; neque nata est certe, & æterna est. Quæ Platonica ratiocinatio æqualis esset geometrarum demonstrationibus, si animi humani sempiterni essent: nunc quando constat Platoni ipsi, procreatos esse animos a supremo Deo (a), argumentum illud, quod observatum Vossio, sublestum est. Quanquam ne is ipse quidem id probasse videtur, quippe qui in Timæo voluntate supremi opificis mentes facit immortales, sed natura sua mortales, in quam opinionem plures ex veteribus Christianis pertraxit, qui gratia, non natura, quum angelos, tum mentes immortales habuere. Interim ne hæc quidem distinctio digna est aut tanto philosopho, aut tantis sectatoribus. Nam siquidem natura rerum nihil est, quam Dei constans & immutabilis voluntas rerum creatrix & conservatrix; quæ Dei voluntate sunt immortalia, natura sunt talia: si vero natura sint vires rerum factarum, quam naturam naturatam dixere Scholastici; partiri iterum questionem oportet: nam vi ipsarum mentium necesse est esse eas immortales, quippe nulla res sua vi & natura perire potest: at utrum perire*

(a) Vide Timæum.

pos-

possint passione, seu actione extrinsecarum rerum, id tantum in questione esse potest. Atque hæc sunt Phercidis argumenta, quibus immortalitatem animorum sibi persuasit Plato.

10. Veteres quidam theologi ex providentia divina luculentum desumebant argumentum, cur animos esse immortales crederent. Nam quum constet, plerosque viros bonos in præsentia vita perpetuo adversitatibus conflictari; malos contra prosperitatibus omnibus cumulari, & esse in deliciis, Deum vero justum esse & providum; nisi altera sit vita, qua contraria omnia, bonis bona, malis mala retribuuntur, videri posset, res humanas a Deo negligi, quod esse nequit (a).

11. Beatus Thomas in utroque opere, *Summa nempe Theologica*, & altera *adversus Gentes* accurate profus & subtilissime de incorporalitate & immortalitate animorum disputavit. In posteriori hoc opere (b) plurimis demonstrat, operationes intellectuales esse non posse corporeas: inde vero incorporalitatem, & immortalitatem omnium substantiarum intellectivarum derivat. *Ostensum est*, inquit, quod intelligere non potest esse actio alicujus corporis: est autem actus animæ; anima igitur, ad minus intellectiva, non est corpus (c). Quod autem intelligere nequeat esse actio corporis, hoc sæpe argumento persuadet, quod intellectio sit formarum abstractarum, atque ab omni materia compage segregatarum (d). Jam adhibet argumentum ex principio actionis & motus: nempe quum naturæ corporeæ sit proprium aliunde moveri & agitari; quod principium est motionum corporis corpus corporeumve non est; est autem anima vitæ, adeoque motionum corporearum principium, & fons; corpus ergo anima non est. Quo argumento sæpe utitur & Plato, & plerique alii veterum, ut dictum est.

12. Sed illud in primis egregium, si quid video.

Omnia

(a) Vide Chrysostomum orat. 4. de providentia.

(b) Lib. 2. cap. 50. & 51.

(c) Contra Gentes lib. 2. cap. 65.

(d) Ibidem. cap. 67. 79. 80.

Omne corpus divisibile est: omne autem divisibile indiget aliquo continente & uniente partes ejus: (itaque Newtoniani vim attractricem, aut naturam quemdam spiritum commenti sunt, qui certe corporeus esse non potest, nisi & is alio coire dicatur, & sic porro in infinitum. Campanella vero spatio universali eam vim conglutinandi, & attrahendi tribuit): Si igitur anima sit corpus, habebit aliquid aliud continens, & aliud magis erit anima: videmus enim, anima recedente, corpus dissolvi; ut si hoc iterum sit divisibile, oportebit, vel devenire ad aliquod indivisibile & incorporeum, quod erit anima: vel erit in infinitum procedere, quod est impossibile: non est igitur anima corpus (a).

13. Quod spectat ad immortalitatem substantiarum intellectivarum, pluribus ille eam rem persequitur in eodem libro (b). I. Nihil corrumpitur, nisi quatenus compositum est ex dissolubilibus partibus: intellectiva vero substantia simplices sunt; corruptioni ergo non sunt obnoxia: II. In entibus simplicibus vita, essentia, existentia unum sunt: at quæ sunt talia, sola annihilatione, non etiam corruptione perire possunt. Pereant enim corruptione; superesse aliquid debet; quum sint simplicia; nihil, nisi ipsum esse superesse potest. Annihilatio autem nullius rei viribus naturæ fieri potest; viribus ergo naturæ perire nequeunt substantia intellectiva. Eo argumento mirifice delectatus est Wolfius. III. Nihil natura corrumpitur, sed passione, idest actione eorum, quæ excipit: nihil autem substantia intellectiva suscipere potest ex corpore, quod ejus naturæ sit contrarium, quum nihil ex corpore corporeum transire in incorporeum possit: ergo ne passione quidem perire mens potest. IV. Quæ desideria sunt naturalia entibus, inania esse non possunt, quum nihil frustra Deus natura auctor operetur; est autem desiderium beatitudinis mentibus innatum: & id complectitur semper esse, uti patet; inane ergo esse nequit: semper ergo sunt, quæ hujusmodi sunt. Atque

(a) Ibidem lib. 3.

(b) Cap. 55.

que hæc sunt præcipua. Cetera Arabicæ philosophiæ principiis innituntur, nec vim habent ullam, nisi adversus eos, qui eodem genio philosophantur.

14. Operis esset infiniti ea enarrare, quæ eandem in rem egregia alia Italiæ nostræ ingenia Marsilius Ficinus in Theologia Platonica, Hieronymus Cardanus in libris de immortalitate, Thomas Campanella, Pomponatius, Pici Mirandulæ Principes, aliique excogitarunt. Venio ad Cartesium, qui nova quadam ratione & via hæc dogmata conatus est demonstrare (a). Quoniam scio, inquit, omnia quæ clare & distincte intelligo, talia a Deo fieri posse, qualia illa intelligo, satis est, quod possum unam rem absque altera clare & distincte intelligere, ut certus sim, unam ab altera esse diversam. Possum autem intelligere cogitationem, idest mentem, sine ulla extensione, seu corpore: nam. 1. Si supponam me nullum habere corpus, adhuc cogito, cogitationisque sum conscius. 2. Nullam extensionem in cogitatione inesse video, nec possum dimidiam, aut tertiam partem cogitationis intelligere: conficitur, cogitationem, seu mentem rem esse distinctam & diversam ab extensione, seu corpore.

15. Plura adversus illud Cartesii argumentum objecta sunt (b). Auctor secundarum objectionum, Merfenus, vir in primis doctus & acutus reposuit, meminervis te non actu quidem & revera, sed tantum animi fictione corporum omnium phantasmata pro viribus rejecisse, ut te solam rem cogitantem esse concluderes, ne postea sorte concludi posse credas, te revera nihil esse præter mentem, aut

(a) Medit. 6. de pr. phil.

(b) La Mettrie histoire des systemes, astuce nos sefellisse Renatum eo argumento scribit, eumque inter vafros Deistas censet. Quod hominis judicium plurium doctorum hominum consensui adversatur, mihi que plane iniquum videtur. Quorum enim quisque philosophorum, theologorumque ab hujusmodi censura esset immunis, si ex argumentorum, quibus bonam alioquin causam tuerentur, imbecillitate in jus essent vocandi? Nam argumentationum imbecillitatem ingenia sepe efficiunt hominum: sepe disputandi artis imperitia, minusque exercita ratio: postremo rei ipsius difficultas: ut plura non voluntate peccent, sed natura, aut arte: sepe neutra.

aut cogitationem vel rem cogitantem . . . Hactenus cognoscis te esse rem cogitantem, sed quid sit res illa cogitans, nescis. Quid enim si fuerit corpus, quod variis modis & occurribus illud faciat, quod vocamus cogitationem? licet enim existimes, te corpus omne repulisse, in eo decipi potuisti, quum te ipsum minime rejeceris, qui sis corpus. Quomodo enim demonstras, corpus non posse cogitare? vel motus corporeos non esse cogitationem? Cui Cartesius respondet item generatim & vage, sufficere quod unam rem absque altera clare intelligamus, ut agnoscamus illas realiter distingui. Si id non sufficit, date, inquit, certius aliquod signum distinctionis realis: nam confido nullum dari posse . . . Si qui autem negent, se habere distinctas ideas mentis & corporis, nihil possum amplius, quam illos rogare, ut ad ea, quae in hac secunda meditatione continentur, satis attendant. Nec fallitur Cartesius profecto dum cogitationem & extensionem realiter distincta esse scribit. Quis id non intelligat? Sed id oportuit demonstrare, distingui ea ut duas substantias, seu res per se subsistentes, nec intrinsecus alteram ab altera pendentes: non ut duos ejusdem substantiae modos, vel duo attributa, duas vires, resistendi unam, cogitandi alteram.

16. Antonius Arnauldus auctor objectionum quartarum minutatim prorsus argumentum idem cribravit, ut Cartesius ipse ingenue confiteretur, se non potuisse optare magis perspicacem scripti sui examinatorem. Ac primum, inquit ille, ut vera sit illius syllogismi propositio (quae clare & distincte percipiuntur esse substantias distinctas) non de quacumque etiam clara & distincta, sed tantummodo de adaequata rei cognitione intelligi debet. . . . contendat igitur aliquis, inadaequatam tantum esse tui conceptionem, dum te concipis tanquam rem cogitantem, non extensam; similiterque quum te concipis tanquam rem extensam, non cogitantem. Itaque ut possum concipere figuram $\alpha\pi\lambda\omega\varsigma$ sine aliis proprietatibus circuli, nec inde sequitur eam esse realiter a circulo distinctam, ita cogitationem sine extensione, quin concludi possit, esse illas duas distinctas substantias. Reposuit Cartesius, si, ut duo distingui realiter intelligatur,

tur, necessarium sit, adaequatas eorum habere ideas, rerum distinctionem realem solus Deus noscet: quippe qui solus ideas rerum adaequatas habere potest. Ad rem vero quod attinet, etsi, inquit, multa forte in me sint, quae nondum adverto, quia tamen id quod adverto mihi sufficit, ut cum hoc solo subsistam; certus sum me a Deo potuisse creari absque aliis, quae non adverto; atque ideo ista alia ad mentis essentiam non pertinere. Nihil enim eorum, sine quibus res aliqua esse potest, mihi videtur in ejus essentia comprehendi: & quamvis mens sit de essentia hominis, non tamen est proprie de essentia mentis, quod humano corpori sit unita (a).

17. Plures interea fuisse reperio e Scholae theologiae, qui, quod animi immortalitatem spectat, in ea fuere opinione, credere eam divina revelatione oportere velut rem supra captum humanum positam, quamque nullis naturae rationibus demonstrare possumus. Nam naturae rationes, quas B. Thomas protulit, Henricus & Scotus probabiliter suadere, non necessario demonstrare censuerunt, ut Canus agnoscit (b); & Cajetanus, addit idem, sui valde dissimilis scripserit, se credere quidem animam rationalem incorruptibilem esse, at nescire tamen. In eandem sententiam ingressi sunt & alii, in primis Nicolaus Perrottus (c), & Joannes Lockius (d). Nempe, inquirunt, tamdiu res creatae vivunt, quoad eas esse & vivere auctor vult Deus: at quousque esse & vivere animas velit Deus, id scire nequimus nisi divina revelatione, seu manifestatione divinae voluntatis. Atque pluribus hoc refellit eodem in loco Canus: ego tribus verbis, Nempe divina voluntas, non omnis quidem, & adaequate, sed ex par-

(a) Unionem animae cum corpore, aut ejus saltem unionis appetibilitatem, ut loquuntur, ad animae essentiam pertinere veteres scholae docuerunt. Quum enim anima sit forma substantialis corporis organici, est ejus entelechia, id est ultima perfectio; ergo & creata est, ut hoc sit: tendit igitur eo inquirunt, cujus causa creata est, ac suapte natura.

(b) De locis lib. 12. cap. 1.

(c) Apud Balium in Diction. Art. Perror Remarg. L.

(d) Locke 3. Replique à Mr. Scillingbeet.